

plane impium. Proinde cum Ebr. VI. 6. impossibile dicitur hos peccatores renouari ad poenitentiam, hoc ipso tacite conceditur, quod si possent renouari ad poenitentiam, etiam a remissione non excluderentur: Caeterum quaestionem: *Utrum Christus pro peccato in Spiritum S. satisfecerit?* solide atque planissime discussam videas a Dn. Praefide Disp. de Peccato et Peccatore in Sp. S. Gryphiswaldiae habit. 1704. *Quaest. II. p. 25. seqq.*

§. XXI.

Porisma I. *Christus est verus homo.* Fidem dictis facit vox *Sanguis*, quae in Christo infallibilis est humanitatis nota, conf. Ebr. II, 14. quam inuicte etiam demonstrat eius utraque pars essentialis et constitutiua, *corpus* videlicet, Ioh. II, 21. et *anima rationalis* Matth. XXVI, 38. Luc. XXIII, 46. conf. *Quensted. System. Theol. Part. II. p. 126.* item *Brochm. l.c. Tom. I. p. m. 727.* nec non Dn. Praefidis mei Schediasm. Log. Theol. Lib. I. C. V. §. VI. Us. p. 77. seq. Mera ergo sunt somnia, quae de duplici vel carne, altera naturali et terrena, altera vero spirituali et coelesti; vel corpore Christi, altero coelesti et sydereo, altero terrestri et animali traduntur, cum in scripturis de his altum sit silentium. Confer Ebr. II, 17. *Contra Marcionitas, Cerdonianos, Manichaeos, Valentinianos, Appellitas, Anabaptistas, Menonistas, Schwenckfeldianos, Arianos, Apollinaristas, Monotheletas, Photinianos, Antitrinitarios, et Fanaticos.*

§. XXII.

Porism. II. *Christus est verus DEUS.* Euincit hoc non solum denominatio *Filii DEI*, sed et imprimis *facultas purificandi a peccatis*, quae certe non nudi hominis, sed veri DEI est, largientibus hoc ipsius Christi aduersariis, Marc. II, 7. Luc. V, 21. conf. Mich. VII, 18. Ioh. XX, 28. Act. XX, 28. Rom. IX, 5. Tit. II, 13. I Ioh. V, 20. *Contra Haereticos antiquiores, quos B. Chemnitius in LL. Theologicis Loc. de Filio DEI p. 52. Edit. in Fol. in tres distinxit classes ἀνυποστάτων ἐλεγεσίων et ἀνομοίων; recentiores, et recen-*